



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conferentiæ Theologico Morales

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,
Confessariorúmque omnium

Ex Materia De Actibus Humanis Excerptarum

Sargar, Eliseus

Augustæ Vindelicorum, 1720

Conferentia XIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41214

CONFERENTIA XIII.

21. **A**lius ante factum opus, de quo dubitat, an sit licitum, datâ operâ volvit & inquirit varios Authores, & opiniones, ut tandem reperiat sibi faventem, quid de hoc dicendum?

RESOLUTIO: Hic, si bona fide procedat, ut inveniatur sententiam vel opinionem sibi faventem verè probabilem, ac ratione vel fundamento non levis momenti nixam, tutò eam sequetur. Ita Sanchez l. 1. Moral. c. 9. & Francis. Bardi hic Discept. 4. c. 19.

Ratio verò est: quia operans juxta probabilem sententiam, non peccat. Quod si verò talis procedat mala fide, ut modò inveniatur aliquem Authorem sibi faventem, non curando, quo fundamento vel ratione nitatur; is certè ex tali opinione necque conscientiam practicè certam formare, nec consequenter licitè ac tutò operari poterit.

CONFERENTIA XIV.

22. **S**ubdit hic P. Patrit. n. 35. quæstionem incidentalem; an in formanda conscientia probabili liceat pro libitu variare, ut puta modò hanc, modò illam opinionem probabilem sequi? E. g. de certo vectigali cujusdam terræ domini dubitatur, an sit justum, vel injustum? sententia sunt pro & contrà, utraque probabilis. Item sunt opiniones utrinque probabiles, voventem posse, & non posse propria autoritate votum in aliud opus æquale commutare v. g. jejunium in Eleemosynam, vel econtrà.

B 3

RE-

RESOLUTIO prima pro prima quæstione: potest viator sequendo opinionem probabilem *vectigal esse injustum*, illud defraudare; postea autem mutatâ sententiâ, *esse justum*, illud tributum emere, & ipsemet exigere. Ratio est: quia adhuc manet ei integrum, ut si demonstratur tributum fuisse justum, antea defraudatum possit restituere.

RESOLUTIO pro secunda parte: si devotulus vovit jejunium in vigilia Præsentationis B. V. Mariæ, & commutavit illud in Eleemosynam æstimatam æqualiter Deo gratam juxta sententiam affirmativam, *quod possit* & ita omisit jejunium; non potest postea sequendo aliam sententiam, *quod non potuerit commutare*, etiam omittere Eleemosynam. Ratio est: quia sic votum nullo modo servaretur, saperetque fraudem ac illusionem, nec maneret res integra. Ita Barthelemy cit. c. 14. & Patrit. n. 35.

CONFERENTIA XV.

23. **Q**uia alia est opinio probabilis intrinsecè, nixa scilicet motivo rationabili legis divinæ naturalis vel positivæ, atque in his fundatis iustis legibus humanis conformis est, vel non repugnat: alia opinio probabilis extrinsecè tantum, sive auctoritate doctorum; quæritur hic, an liceat utramque sequi? pro qua fit

RESOLUTIO I. *Licetum est sequi opinionem verè probabilem intrinsecè.* Ita omnes: & ratio est: quia quod rectè & prudenter creditur licitum, etiam licitè fit, cum rectum ac prudens iudicium sequens non peccet: sed opinio verè probabilis intrinsecè nixa motivo rationabili, (et si in

certo
cat al
mata d
tice:
nion
RE
extrin
Auth
opini
comi
rius.
cit. n.
Pro
verè
mis v
tim d
quor
tas ab
gem,
go so
nem p
conco
allatis
rectæ
aucto
tam l
& co
sumpt
const
nem
mus
melit
certo